



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XXXIII. Castrorum munitiones necessariæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

CAPVT XXXIII.

Castrorum munitiones necessariae.

§.1. **N**OSTRIS Ducibus saepe visum est indignum, Castra fouere & Fidere vallo.

Exercitus
muniendus.

Itaque maximos exercitus sine villo munimine aperto interdum campo collocant; non ita Romani, de quibus Polybius. nam omnia instar oppidorum ordinata, & munita erant. Verba Polybij: *Hic ita constitutus, tota figura castrorum sit quadrata, aequilatera. Partes autem eius & in strigiarum sectione, & in alio ordine, vrbis similem locationem habent. Vallum vero ipsum adiungunt à tentorijs quaquaueris pedes ducentos. Id vacuum multas & speculabiles utilitates is praeber. quoniam & ad egressus ingressusq; copiarum conuenit (singuli enim iuxta strigas suas in hoc vacuum exeunt, nec confusi proterunt se & conculantur): & pecudes adductas aut praedas ex hostico captas huc agunt feruntq; & noctibus seruant. Praecipuum vero quod in nocturnis assultibus, neq; ignis, neque telum ad eos peruenit, praeter pauca: ea q; ipsa innoxia fere sunt, tum ob interualli spatium, tum ob tentoria circumposita.*

Fosse vero ac valli struendi duo latera incumbunt socijs, ad quae vtrumque eorum cornu metatur: duo alia Romanis, cuiusque legioni vnum. Diuiso autem latere vnoquoque per manipulos, curam partium Centuriones gerunt, hisque assistunt: vniuersi autem operis habent probationem duo Tribunorum. Omnia hic munita vides, ducentos pedes ab sunt à vallo, ipsum vallum & fossa spatium habet, ut omnino tuti sint.

§.2. Duo latera socij, duo legiones faciebant, centuriones decempedis metiebantur. Tribuni circumcunt, nec abeunt donec totum opus sit perfectum. Valli opus tale erat, fossam exterius praeducebant.

Fossa.

Tibullus, Quo deceat tutam castris praeducere fossam. Deprimebant autem eam, ut esset octo pedum latera, totidemque alta, ut si hostis insiliret totus sub terra esset, latitudo erat, ut nemo posset transire. Cum maior vis metuebatur, latior & profundior efficiebatur. Veg. l.3. c.8. ita ut interdum esset pedum nouendecim, non tamen tum par altitudo.

Vallum.

Fossa additur interius vallum, quod è sudibus & cespite, seu terra aggelitia, eius altitudo ternum aut quaternum pedum. Cespitis mensura, ut altus semissem, latus pedem, longus pedem, & semissem.

Vallus.

Verum in periculo, & credo in hybernis multo altior agger, idq; natura consequebatur, si fossa maior esset, ex ea enim agger crescebat. l.3. belli ciu. Erat eo loco fossa pedum quindecim, & vallus contra hostem in altitudinem pedum decem, tantumdemq; eius valli agger in latitudinem patebat. Vallus ramosus, & acuminatus erat, ne facile posset reuelli, vel transiri. itaque castra ponebantur, per modum mucronis praecutis sudibus fixis. Hanc firmandorum castrorum ratione hodie quoq; resumi vtilissimum esset, aut parem aliam retinere: nam milites tuto conquiescit, nec ad strepitum turbatur, securus loci munitione, quod plurimum ad robur & valitudinem prodest. Deinde cum facile castra defendi possint, liberum erit, et cum vicinus est hostis, aliò pro occasione dimittere, ut facit apud Liuium Claudius Nero, qui relicto castris praesidio, longo itinere obuia Adrubali vadit, vincit, redit in castra. Quod facere non posset, nisi ea munita. Tertio multo pauciores excubij attendantur milites.

Castra se-
per muni-
enda.

§.3. Porta in singulis lateribus singulae praetoria, quae post praetorium, & tendebat in hostem, per quam educebatur exercitus in aciem. Deinde duae principales, quia principijs respondebant. Deniq; decumana, quia ibi decimae cohortes tendebant. Nec contenti hoc munimento, turres etiam addebant aliquando. Hist. l.8. bell. Gall. Portis fores altioresq; turres im-

positae sunt. Ioseph. l.3. bell. Jud. per ambitum turres dispositas ait; & Scipio ad Numantiam per singula iugera centenos pedes posuit. Deniq; saepe duplex vallum, & duplex fossa.

§.4. Opera illa non erant difficilia, ob eorum, qui muniabant, multitudinem, latus vnum castrorum erat 2050. pedum, huic si legio integra muniendo constitueretur, in vnum pedem duo milites erunt, si pauci immunes. Nam centuriones, equites, euocati, exactorati, voluntarij munerum vacationem habuerunt. Verum horum in partem venisse lixas, calones, seruitia, & iniuisse non est dubium; cur enim seruos suos domini labore fatigati ociosos sinerent? Florus l.2. c.18. Seruilia vocat opera. Caesar bello Alexandrino. Cum more operis quotidiani magnam illam seruatorum multitudinem, quae aggerem portabat, militum esse credidisset. Trebonius etiam l.2. bello ciuili ad ea opera ex provincia homines euocat. Itaq; celeriter tendebatur fossa.

Multitudo
muniendi
facilem effi-
ciebat laborem.

§.5. An vero rectius Lycurgus, qui rotunda, an alij, qui quadrata, aut quadrangula? Eum rotunda probasse ait Xenoph. de rep. Laced. Dicam etiam quo pacto castrametandum esse Lycurgus censuerit. Nam quoniam quadrati agminis angulos inutiles esse duceret, in orbem castra ponebant, nisi aut monte tuti essent aut murum, aut fluvium post se haberent. Causam reddit, quia angulicrant inutiliter. Verum ut sint quadrata vel quadrangula, commodius est ad defensionem, ex vno enim angulo duo latera videri & defendi possunt, deinde ad omnem in edificandi rationem commodior est quadrata figura, quam rotunda vel oblonga. si tamen res vniuersim consideretur, nihil melius, quam situm loci perpendere, ut si fluvius, lacus, mons, vallis; murus, palus, sylua, aut aliud est, quod naturale munimentum praetendit, eo in compendium laboris vtantur. ad flumina in longum extendi expedit, ob commoditatem aquandi.

Quadrata
meliora.

§.6. In Romana militia munitio desijt ob varias causas. prima fuit Imperatorum indulgentia, cum multos beneficio suo facerent immunes; hinc consequebatur, ut illi qui munifices essent, magis premerentur, imò opprimerentur. Alterum genus militiae, dum per oppida dispositi castrorum laborum inscui redderentur. Tacit. an.13. Satis constitit fuisse in eo exercitu veteranos, qui non stationem, non vigiliis insistent: vallum, fossamq; quasi noua & mira viserent: siue galeas, siue loricae, nitidi & quaestuosi, militia per oppida expleta. Vtraque ex causa Praetoriani ad summum ignaviae deuenerunt; cum enim Didius Iulianus eos in campum educere vellet, & exercere, vicarios operum mercede conduxerunt. Improbius etiam Aegyptij, qui cum fossa & vallo castra munire iuberentur, luculamabant; ut id publico sumptu faciendum locaretur. Tertia causa fuit auaritia & saeuitia centurionum, qui coegebant emere remissionem munerum. Tac. hist.1. Flagitatum, ut vacationes praestari centurionibus solita remitterentur. Namq; gregarius miles, ut tributum annum pedebat. Pars municipis, pars per commercium, aut in ipsis castris vaga, dum mercedem centurioni exsolueret, neq; modum oneris quisquam, neque genus questus pensi habebat. per latrocinia & raptus, aut seruilibus ministerijs, militare otium redimebant. Tum locupletissimus quisq; miles, labore ac saeuitia fatigari, donec vacationem emeret. Vbi sumptibus exhaustus, socordia miser elangueret, inops pro locupletate, & iners pro strenuo, in manipulum redibat. ac rursus altus atq; alius, eadem egestate ac licentia corrupti, ad seditionem & discordias, & ad extremum bella ciuilia ruebant. Postea ex publico solum centurionibus, donec tandem castra munire desierunt. Vegetii tempore, qui sub Valentiniano iuniore vixit, iam defierat ea scientia. Huius rei, inquit, scientia prius intercidit, nemo enim iam diu ductis fossis, fixisq; sudibus castra construxit. Reuocatum tamen à multis per interualla.

Munitio in
Romana ca-
stris desijt.

Munitio ca-
strorum me-
liora.

§.7. Castra munire, l.1. c.21. & sequentibus docet Vegetius: Castrorum, inquit, quoque munitionem debet tiro con-

discere:

discere: nihil enim, neq. tam salutare, neque tam necessarium inuenitur in bello: quippe si recte constituta sunt castra, ita intra vallum securi milites dies noctesq. peragunt, etiam si hostis obsideat, quasi muratam civitatem videantur secum ubique portare. sed huius rei scientia prorsus interdicat: nemo enim iam diu ductu fossi, praefixusq. sudibus castra constituit. sic diurno vel nocturno interuentu equitum barbarorum, multos secum frequenter afflicto. Non solum autem confidentes sine castris ista patiuntur, sed cum in acie casu aliquo caperint cedere, munimenta castrorum, quod se recipiant, non habent, & more animalium inulti cadunt. Nec prius moriendi finis sit, quam hostibus voluntas defuerit persequendi. Castra etiam inter summa pericula muniabant, Veget. l. 1. c. 25. Sed facile est absentibus aduersariis castra munire: verum si hostis incumbat, tunc omnes equites, & media pars peditum, ad propulsandum impetum ordinantur in acie, reliqui post ipsos ductu fossi muniunt castra: & per praconem indicatur, quae tentoria prima, quae secunda, quae tertia, donec opus omne impleretur. post hoc à centurionibus fossa inspicitur, ac mensuratur, & vindicatur in eos, qui negligentius fuerint operati. Ad hunc ergo usum instituendus est tiro, ut cum necessitas postulauerit, sine perturbatione, & celeriter, & caute possit castra munire. Bello Africano pars aciei in campo stabat, alia opus faciebat. Bello Hispaniensi contra Afranium, tertia acies opus occulte faciens fefellit hostes.

§. 8. Aliam & celerem muniendorum castrorum rationem tradit Mendoza, p. 1. c. 52. Trabeculas vertebis deuinxit, & breuissimo tempore, pegma quadratum, triginta pedes Geometricis altum, sexaginta latum crexit, talia quatuor nō modo tuendis, sed etiam toto campo infestando sufficiunt; si idoneis locis collocentur, compleri enim mos querariis, aliisq. militibus possunt. Ligna nō maiora requirit, quam vt collecta equis vel mulis vehi possint; super ea nihilominus specula alta quinquaginta pedes collocari potest. Hoc celeriter fieri potest; addenda tamen alia; nam machinis facile illa pegmata deicij possunt.

§. 9. Muniendis castris, & cingendis hostibus, quaedam olim quasi barbarica fuere, quae vtilitate exigua habuerunt, alia necessariae tutelae profuerunt. Vtile omnino opus fuit, quod Caesar l. 1. bell. Gall. fecit. Cum vna enim legio quam secum habebat, militibusque qui ex provinciis conuenerant, à lacu Lemano ad motem Turam, millia passuum nondecim, murum in altitudinem pedum sedecim, fossamq. perduxit. Eo opere perfecto, praesidia disponit, castra communit, quod facilius, si se invito transire conarentur, prohibere posset. Sic Heluetios terruit, vt consilium & spem erumpendi abijcerent. Spacium erat quinq. milliariorum nostratum, quod castellis munitum Caesar insedit. Verum si Heluetij ausu illo territi nō fuissent, non difficile fuerat murum aliqua in parte percurrere & fossam complere. Idem Caesar nō magno milite, cum Alesiam obsideret, contra multa millia hominū, quae in vrbe erant, & ducenta quadraginta millia peditum, & octo millia equitum, munitus urbem cepit. Primo, in circuitu munitionem fecit; per vndecim millia passuum, fossam viginti pedū. ea recedens quadringentos pedes alias munitiones fecit. Ea erant, duae, fossae quindecim pedes latae, eadem altitudine: quarum anteriorem aqua ex flumine deriuata impleuit. post istas, aggregem & vallum pedum duodecim exstruxit: siue loricae pinnaeque adiecit, grandibus ceruis eminentibus, qui aduersum hostium tardarent. Et turres toto opere circumdedit, quae pedes octoginta inter se distarent. Contra eos qui auxilio obsessu veniebant, alias munitiones similes exstruxit, quatuordecim millia passuum complexus. Barbarum & ad ostentationem, quod Pompeium muto qui duceta, & mille stadia habuit, claudere conatus est, quod circiter 150. milliariū spacium, nostratum milliariū 37. Nec enim Magno oberat tantis machinationibus, & quam facile percurrere ista poterat Pompeius militari manu? Lucanus hunc in modum describit:

Franguntur montes planumq. per ardua Caesar
Ducit opus: pandit fossas, turrita q. summis
Disponit castra iugum, magnosq. recessus
Amplexus fines, saltus, nemorosaq. resqua,
Et sylvas, vastaq. feras indagine claudit.
Non desunt campi, non desunt pabula Magno,
Castrag. Caesareo circumdatus, aggere mutat.
Flumina tot cursus illic exorta fatigant,
Illic mersa suos: operumq. vt summa reuissat,
Defessus Caesar, medijs intermanet agris.
Nunc verus Iliacos attollat fabula muros,
Adscribatq. Deis: fragili circumdata castra
Moenia mirentur refugii Babylonia Parthi:
En quantum Tigris, quantum celer, amabit Orontes,
Assyriū quantum populos telluris Eoa
Sufficit in regnum, subitum bellig. cumultu
Raptum clausit opus, quanti perire labores!

Crassus contra Spartacum fossam 300. stadiorum, latitudine & altitudine pedum quindecim struxit, super fossam vero vallum struxit, altitudinis, & firmitatis admirandae. Plutarchus in Crasso. Haec ad munimenta pertinent, quae nunc alia ratione fiunt, ob bellica tormenta, sed in castris negliguntur.

§. 10. In castris ipsis erant tentoria, quae firma fuisse videntur, quia vt ait Polybius, etiam tela arcebant. In hybernis & statiuis forte ex tabulis, stipitibus, contextu sepimenti, alioqui e corio erant, & funibus tendebantur, poterantq. hoc modo tela viribus defecta morari. Isidorus tabulas & cortinas addit, cortinae e lino facile resisteant telis imbellibus, imo fortiter vibratis, maxime pendule, Pellibus sane superiora tegebant. Tac. de Phrisiis. Tributum iis Drusus modicum iusserat pro angustia rerum, vt in vsus castris coria bouum penderent. Caesaris milites in bello Africano, alij ex vestimentis, arundinibus, Storeisq. tentoria faciebant. Belisarius ex tabulis habet apud Procopium l. 2. belli Persici. Herodes apud Trebellium sigillata tentoria, & auratos papilionis. Ea vero erat magnitudo, vt omnes facile caperet, imo etiam aduenarū aliqua multitudo recipi posset. Si plures legiones, castra ampliora erant, si duo consules, singuli praetorium, ordinēq. duplicato spacio tenebant, vt tradit Polybius. Castra maiora & minora in Cannensi pugna legimus, iusto intervallo distincta, sine dubio iusta de causa, quamuis explicata non sit.

CAPVT XXXIV.

Castrorum veterum leges & consuetudines.

SUMMA est in castris disciplina, summus ordo. 1. Duo manipuli curam habent loci, qui est ante Tribunos, sumuntur ex hastatis & principibus. Locutus ille est principia, vbi conuentus, omniaq. transiguntur.

2. Tabernaculum Tribuni tres manipuli statuant. Vegetius l. 3. c. 8.

3. Ex his & binæ excubiae, alia ante, alia post tentorium.

4. Apparitorum loco illi erant; Alexander Seuerus apparitores nullos esse passus; Tribunis aut ductibus nisi milites, anteire noluit.

5. Triarii equitibus, vt dignioribus ciuium excubiam praebant. Polybius. Equos curabant, obseruabant:

6. Imperatori vnus in diem manipulus excubabat.

7. Ad portas stationes erant, integrā namque cohortes, & equitum turmae excubabant. Interdū procul castris, & cohortes plures. Eas stationes agrarias vocabant. Plures sane erant, & capitale erat cessisse,

Melior Craf-
firmus.

Tentoria
firma.

Tentoria.

Ordo castra-
rum tenen-
dus.

Excubia.

Apparito-
res.

Equites.

Excubia

Imperato-
ris.

Stationes,
Stationes
agrariae.

Mira Ca-
sari opera.

Ingenia
castra.

Inutilia Ce-
sari mu-
nitiones.